



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio VII. De Ineffabilitate ac Nominib[us] Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

riæ & visio beatifica, est altissimi ordinis specificæ, ob rationem suam; & obiectum formale eminentissimum. Quod si videri possent distinctè omnes perfectiones intrinsecæ creaturarum possibiles; nihil obstarè, quo minus distinctè videri possent omnes etiam rationes ac modi possibiles earundem; seu quas Deus facere potest in ipsis; quicquid tertia sententia dixerit: non solum quia illi ipsi modi possibiles pertinent ad censum, seu numerum creaturarum omnium possibilium: ita quidem vult respectu aliarum creaturarum v.g. substantiarum, sint perfectiones extrinsecæ, in se ipsis tamen intrinsecæ, sint perfectiones quædam creatæ; sed etiam quia si ad ipsam infinitatem naturarum possibilium sufficit lumen & cognitio creata, esto infinita secundum extensionem vel intensiorem, qualem esse possibilem sententia illa fatetur; cur non sufficeret, ad illos etiam modos possibiles alia adhuc perfectior saltem secundum individuum rationem.

Assertio II. Probabilius videtur etiam implicare contradictionem, omnium creaturarum, seu existentium, seu possibilium visionem in ipso Deo seu Verbo. Hæc est aperta, & indubitata sententia S. Thomæ hic q. 12. a. 8. & communis aliorum, quos citauimus pro prima & secunda sententia, contra tertiam & quartam sententiam. Rationem quasi a priori adfert S. Thomas; quia ad hoc ut omnes effectus cognoscantur in causa, necesse est causam ipsam totaliter cõprehendere; adeoq; cognoscere tā perfectam cognitionem, quam ipsa est ex se cognoscibilis: si quidem eo plura cognoscuntur in causa, quo causa perfectius cognoscitur, & è contrario: Ergo etiam ad hoc, ut omnes effectus, qui in Deo eminenter continentur, cognoscantur, necesse est, Deum comprehendere: at hoc est impossibile creato intellectui; requireretur enim lumen & visio infinita, ut proba-

tum est dub. 6. Ergo etiam impossibile est ipsi, omnes effectus, seu creaturas possibiles, quæ in Deo eminenter continentur, cognoscere.

Et sanè firmum hoc esset argumentum; si vel incomprehensibilitas Dei in eo consisteret, quod non possint omnia cognosci ab intellectu creato, quæ sunt in Deo eminenter; vel si creaturæ in Deo cognosci non possent, nisi vel per extensionem, vel intensiorem formalem & intrinsecam ipsius visionis & luminis. At quia nos supra dub. 9. docuimus, neutrum esse necessarium, ideo Albertinus loc. cit. & alij quidam simpliciter asserunt, id argumentum non concludere.

Ego verò existimo, ita rectè posse confirmari Nam si aliqua visio Dei creata non comprehensua ad hoc sufficeret, ea vel deberet esse infinita secundum intensiorem, vel extensionem, ut fatetur Albertinus; aut finita altioris ordinis, & diversæ speciei, vel saltem summè perfecta, iuxta eam rationem & perfectionem individuum, ex qua oritur extensio visionis Dei ad obiecta creata: sed nihil horum est possibile; ut de prioribus tribus partibus iam antea dictum; de quarta probatur. Tum quia per se incredibile videtur, visionem & lumen tam immensæ perfectionis solo numero differre à reliquis. Tum quia, qualibet data visione, potest dari perfectior individualiter, etiam seclusa eius intensiõne vel extensiõne; alioqui exhausta esset quodammodo potentia Dei, in hoc ordine rerum. Tum quia perfectio hæc individualis imitatur extensionem gradualem, qualis nulla suprema possibilis dari potest; Ergo nulla visio ad id sufficit, nisi increata & comprehensua, quæ solius Dei propria est Ratio à posteriori est; quia si talis visio esset possibilis, tū re ipsa fuisset comunicata Christo; nulla enim erat causa, cur ei negaretur, si possibilis est, ut rectè Suarez 3. p. loc. cit.

QVÆSTIO VII.

De Ineffabilitate, ac Nominibus Dei.

S. Thomas 1. p. q. 13. aa. 12.



Resoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An & qua ratione Deus sit ineffabilis; & quanam sit diuinorum nominum distributio & varietas. II. An & quanam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno, vel ex tempore. III. An communia Deo & creaturis nomina, de vtriusque vniuocè, an solum æquiuocè vel analogicè prædicentur. IV. An & Deus possit aliquo nomine significari quidditatiuè. V. Quodnam nomen sit maximè proprium Dei, caterisque præstantius; & vtrum nomen Dei Tetragrammaton idem sit cum Dei nomine, Qui est.

DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit ineffabilis; & quanam sit diuinorum nominum distributio & varietas.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 1. 3. 4. 12.

Quemadmodum Incomprehensibilitatem præcedenti quæstione diximus constituere pro-

prium ac peculiare Dei attributum; ita hoc idem pariter etiam sentiendum est de Ineffabilitate, quæ incomprehensibilitatem sequitur; sicut nomina rerum conceptib⁹ ac notitia earundem sunt posteriora. Ad hanc ineffabilitatem De explicandam, & ut vniuersim cognoscatur, qua ratione Deus nominari possit, aut non possit, sequentes statuo assertiones.

Assertio I. Deus verè est aliquo modo nobis, omnique creaturæ ineffabilis. Ita S. Thomas q. 13.

2 a. r. ad r. & consentiunt omnes Theologi; & est de fide ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate & fide Cathol. v. b. dicitur, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, Omnipotens & ineffabilis.* Idem indicat Scriptura sacra, Gen. 32. v. 29. *Cur queris nomen meum?* & Iud. 13. v. 18. *Cur queris nomen meum quod est mirabile?* scilicet utroque loco suum Deus nomen homini abscondit, ut significaret, se ab eo perfecte vndiquaque nominari non posse. Vnde Proverb. 30. v. 4. *Quod nomen est eius, quod nomen filij eius, si nostis?*

Idem docent veteres Theologi. Celebre est illud Hermetis Trismegisti ac Platonis dictum apud Cyrillum Alexandrinum lib. 1. contra Iulianum, & Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theolog. *Deum intelligere quidem difficile est, loqui autem impossibile.* Et Prosper in lib. sent. ex Augustino sent. 61. *Verius est, quam cogitur, & quam dicitur; & verius est, quam cogitur.* & Augustinus ipse in Psal. 85. *Queris quid sit Deus? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit. Quid queris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Vnde etiam sumitur ratio assertionis. Cum enim Deus sit, vero aliquo modo intellectui creato incomprehensibilis, multo magis etiam creaturæ cuiuslibet ineffabilis erit. Neque enim aliquid dici aut explicari magis potest, quam cognosci; cum dictio supponat cognitionem.

3 Assertio II. Deus non ita est, aut dicitur ineffabilis, ut nominari à nobis nullo modo possit; vel ut nec à beatis quidem ipsis mutuo quidditatiuè aliquo nomine significari possit: sed tum quia à nulla creatura vi & cognitione naturali potest quidditatiuè significari; tum quia nullo modo potest ab ulla creatura comprehensiuè significari; saltem nomine ab ipsa creatura imposito. Priorem partem tradit S. Thomas hic quæst. 13. art. 1. & est extra controuersiam ex Scriptura, & SS. Patribus: non solum quia alias homines frustra de Deo loquerentur; imo nec omnino quicquam loquerentur; sed etiam quia frequenter nomina Dei ab iisdem explicantur. Exod. 3. v. 14. *Ego sum, qui sum.* Exod. 6. v. 3. *Nomen meum Adonai, non manifestavi eis.* Exod. 15. v. 3. *Omnipotens nomen eius:* quod utroque loco in Hebræo est nomē Dei Tetragrammaton *ehoua*. Exod. 34. v. 14. *Dominus zelotes nomen eius.* Iudith. 9. v. 10. *Dominus est nomen tibi.* Hierem. 10. v. 16. *Dominus exercituum nomen illi.*

Sed & Dionysius ex instituto proprium scripsit librum de diuinis nominibus: quod argumentum tractant etiam Clemens Alexandrinus lib. 5. from. Cyrillus Hierosol. Catech. 6. Greg. Nazian. orat. 2. & 4. de Theolog. Hieronymus tom. 3. lib. de locis & nominibus hebraicis Scripturæ sacræ, & Damascenus lib. 1. c. 13. & 19. fid. orth. optime S. Augustinus lib. 1. doct. Christ. c. 6. *De ineffabili quidem (omni modo) dicendus est Deus: quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur; & sit nescio quæ pugna verborum. Quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest: quæ pugna silentio cauenda potius, quam voce pacanda est.* Ex quibus etiam sumitur ratio eiusdem partis.

4 Secunda pars est itidem communis ex mente Theologorum. Ratio est. Quia significare aliquid alicui nomine aliquo, est notitiam alicuius rei, siue conceptus nostri, nominis alicuius expressione alteri ingenerare, siue representare: cum ergo beati quidditatiuè Deum cognoscant, ut dictum quæst. præced. possunt etiam ipsi sibi mutuo quidditatiuè Dei cognitionem nominis alicuius expressione representare: ac proinde Deus non ita est ineffabilis, ut nec ipsi quidem beati sibi inuicem Deum, aliquo nomine quidditatiuè representare possint.

Tertia & quarta pars itidem communis, colligitur ex dictis quæst. præced. dub. 3. & 6. vbi probauimus, Deū à creatura nec naturali vi quidditatiuè; nec ulla omnino vi comprehensiuè vndiquaque cognosci posse. Cum ergo Deus à creatura non magis aut facilius nominari & significari possit, quam cognosci, sequitur etiam non posse ita vilo nomine à creatura significari quidditatiuè, aut comprehensiuè, modo explicato.

5 Dixi tamen, nomine ab ipsa creatura imposito; quia non desunt auctores, quos dub. 4. referemus, qui nominis significationem metiendam rati, solum ex eo, qui nomen imponit vel vsurpat, dicit Deum solum sibi posse nomen imponere, eum comprehensiuè significans, quibus unque demum ipse loquatur; quod suo modo etiam sequi videtur ex eorum sententia, qui docent, significationem nominis metiendam ex conceptione & notitia audientis; cum enim Deus se ipsum vtrique comprehensiuè cognoscat; quidni saltem ipsi Deo, siue à nobis, siue ab Angelis loquentibus significari aliquo nomine Deus comprehensiuè possit? Sed quamuis disputatio hæc modum loquendi potius, quam rem ipsam concernat, neutrum tamen probatur; tum quia fundamentum vtriusque sententiæ minus probabile esse inferius cit. dub. 4. dicemus; tum quia Deo ipsi, qui renes & corda intraret, cuique adeo conceptus nostri per voces ac nomina innotescere nullo modo possunt, propriè nihil vilo nomine significatur, ut rectè Vasquez hic disp. 57. n. 23. Quo fit, ut nullum planè sit nomen, quod Deus comprehensiuè, siue ipsi Deo, siue alijs possit significari.

6 Assertio III. Nomina seu prædicata, quæ Deo tribuuntur, non sunt omnia synonyma. Ita S. Thomas hic art. 4. & communis omnium Doctorum. Nec est vlla difficultas de ijs nominibus, quæ solum negationem in Deo, vel habitudine diuersam ad res creatas significant, ut optime etiam notauit S. Thomas; quando constat horum nominum significata planè esse diuersa; sed de ijs solum, quæ aliquid in ipso Deo posituum, seu quæ ipsam Dei substantiam & entitatem, sub quacunque demum ratione significant: de quibus tamen ipsis probatur assertio, tum ex Scriptura, in qua sæpe plura nomina coniunctim Deo tribuuntur; ut Ierem. 32. v. 18. *Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi:* quod tamen absque negatione fieri non potest, si nomina eiusmodi esset synonyma, ut rectè S. Thomas in argum. *sed contra.* Tum quia synonyma sunt, quæ significant idem secundum eandem rationem; atqui nomina, quæ Deo tribuuntur, ipsamque Dei substantiam siue entitatem significant, rem quidem eandem significant, sed non sub eadem ratione; sed

sub eadē ratione; sed sub diuersis cōceptib⁹ formalib⁹, quos per analogiā ad res creatas de Deo formam⁹.

7 Assertio IV. Nominū seu prædicatorum, quæ Deo verè tribuuntur, varia est ratio & distributio. Ita ex communi S. Thomas hac quæst. maximè à. 2. 3. 7. 8. Nos rem totam breuiter hoc modo explicamus. Primò enim, vt notauit S. Thomas a. 3. quædam dicuntur de Deo solum figuratè, ac per metaphoram, seu improprie; de quibus S. Dionysius lib. de mystica Theologia, & Damascenus lib. 1. fid. orth. qualia sunt, quæ in significato, & conceptu suo formali inuoluunt perfectionem entis materialis, aut finiti; vt est *oculus, manus*, &c. intellige, quando hæc Deo tribuuntur secundum ipsam naturam diuinam. Verbo enim Incarnato hæc, & similia alia proprie tribui non est dubium. Alia de eodem proprie dicuntur, vt Ens, substantia, viuens, intelligens, sapientia, bonitas, &c. quæ nimirum in suo conceptu formali nullam inuoluunt imperfectionem, vt rectè S. Thomas ibidem: esto quidem illa prout de creaturis dicuntur, secundum suum significatum materiale imperfectionem entis creati materialis, aut finiti inuoluunt. quicquid etiam sit de modo significandi in concreto, vel abstracto; qua ratione etiam omnia nomina, inter nos Viatores consueta, quandam imperfectionem inuoluunt; cum eorum altero quædam compositio; hoc verò quædam imperfectio in modo subsistendi connotari videatur.

Ad quæ, vt notauit S. Thomas hic cit. a. 3. respicientes aliquando SS. Patres, speciatim vero S. Dionysius c. 5. de mystica Theolog. Basilii lib. 5. cont. Eu. nom. c. 13. Augustinus lib. 5. de Trin. c. 10. & Boetius l. de Trin. circa med. negant, quæquæ de Deo proprie prædicari, saltem affirmatiue; sed omnia aiunt prædicari improprie; nimirum secundum quid; cum tamen interim simpliciter verè & proprie quædam de Deo prædicentur; simpliciter enim proprie de aliquo dicitur nomē, ex re formaliter significata, non ex modo significandi, aut materiali significato. vt rectè declarat Suarez lib. 1. c. 9. n. 10. ex mente & doctrina S. Thomæ, cit. art. 3. ad 1. & 3. Ad quem modum etiam intelligenda est eiusdem doctrina eodem art. 3. dum quasi cum distinctione solum de hac re loquens ait: *In nominibus, quæ Deo attribuitur, duo considerari posse, nimirum perfectiones ipsas significatas, & modum significandi; & quantum ad primum, proprie cōpetere Deo, & magis proprie, quàm ipsi creaturis; & per primum dici de eo, quantum vero ad modum significandi, non proprie dici de Deo.*

8 Addit Vasquez hic art. 3. n. 32. beatis nullum nomen significare Deū metaphoricè vilo modo: quod non placet; non solum quia significatio nominum, non pendet ex sola cognitione & conditione audientis, sed etiam loquentis, vt dub. 4. dicitur; verum etiam quia quædam nomina, à quocunque & cuiusque dicantur, non possunt non metaphoricè, aut figuratè Deum significare; vt quando Deus dicitur pœnitens facti; aut cum eidem tribuuntur manus, pedes, &c. aut cum Christus dicitur leo, petra, &c. Nisi ergo negemus beatis, Deum his nominibus vilo modo posse à nobis significari, non est negandum, posse illis Deum significari à nobis etiam improprie, maximè secundum cognitionem, quam extra Verbum habent.

Illud potius hoc loco notandum, quando nomen

aliquod certæ alicuius speciei Deo solum metaphoricè tribuitur, non continuo etiam eidem tribui posse, nec per metaphoram quidem, nomen generis subalterni Vocatur enim V. G. Christus metaphoricè *leo*; & tamen *brutum*, nec metaphoricè quidem, rectè diceretur. Cuius ratio est; quia similitudo cum Christo intercedit leoni, secundum rationem specificam; non genericam illam: quod hac in re imprimis considerandum.

Secundò, omnis improprie nominibus Dei, quæ proprie de Deo prædicantur, alia sunt negatiua, vt Deus non est lapis, ferrum, brutum, &c. seu est non lapis, non ferrum, non brutum, &c. alia affirmatiua, vt Deus est bonus, sapiens, &c. Illa quidem nobis apertius ac magis proprie; hæc vero secundum se ac simpliciter penitus ac perfectius Esse diuinum delarant. In his enim semper aliqua est in prædicando improprietas, saltem ex modo prædicandi, vt dictum; in illis nulla. Quæ de causa etiam S. Dionysius myst. Theolog. c. 1. & 2. cælest. hierarch. S. Augustinus tract. 23. in Ioan. & in Psal. 85. & Damascenus lib. 1. fid. orth. c. 4. & 12. propositiones negatiuas de Deo simpliciter veras esse pronuntiant, istas non item: quod iuxta dicta in prima diuisione accipiendum.

9 Neque enim alias negari potest, veras propositiones affirmatiuas posse de Deo formari, vt ex instituto docet & probat S. Thomas hic q. 13. art. 12. Quia ad veritatem eiusmodi propositionum plus non requiritur, quam vt prædicatum & subiectum significant, vel sint idem secundum rem aliquo modo, & diuersum secundum rationem; quod in Deo locum habere ex dictis liquet: idemque iuxta S. Thomam ibidem aliquo modo accidit tunc etiam, quando idem de se ipso prædicatur; cum etsi idem sit à parte rei subiectum & prædicatum, secundum rationem, saltem ratiocinantem differant; quando, vt Dialectici docent, prædicata accipiuntur formaliter, & subiecta materialiter.

Obijetur, Omnis intellectus intelligens rem aliter, quam sit, est falsus: sed intellectus humanus affirmans aliquid de Deo, aliter Deum intelligit, quam Deus est; intelligit enim Deū cum compositione, cū tamen De⁹ cōpositus non sit, sed simplex, Ergo, &c.

Respondet rectè S. Thomas cit. art. 12. ad 3. Maiorem esse veram, si res aliter intelligatur à parte rei intellectæ; ita vt res aliter esse intelligatur, quam res sit: fecus si solum ex parte intelligentis, seu modi intelligendi; ita vt alius duntaxat modus sit intellectiōnis, quam rei intellectæ; hoc enim sæpe numero accidit, atque etiam necessarium est, non solum in Dei intellectu, sed etiam rerum aliarum; quia v. g. modus intelligendi res corporeas, non est corporeus, sed spiritalis, &c. Idem in proposito fit: non enim intellectus humanus Deū per modū cōpositionis intelligens, dicit Deū esse cōpositū, sed simplicem.

10 Tertio omnis prædicatis negatiuis, affirmatiua, rursum aut sunt transcendentia, de quibus superius actum; aut particularia, seu non transcendentia. Ista rursum aut sunt propria solius Dei, vt omnipotentia, omnipresencia, &c. vt pluribus S. Thomas art. 10. aut creaturis etiam communia, vt Intellectus, sapientia, &c. quæ tamen, qua ratione de vtrisque, Deo scilicet & creaturis, prædicentur, dub. 3. videbimus.

Quartò ex utrisque affirmatiuis, tam transcendentibus, quam particularibus prædicatis, quædam de Deo dicuntur substantialiter; alia non item; quæ diuisio qualis sit dub. 2. dicitur. Quæ substantialiter de Deo dicuntur, rursum prædicari de Deo possunt, aut in concreto ad significandam eius perfectionem subsistendi; vel in abstracto, ad significandam eius simplicitatem, excludentem omnem compositionem; tam ex subiecto & accidente, quam supposito & natura, vt declarat S. Thomas hic a. 1. ad 3. & a. 1. 2. & dictum supra q. 2. dub. 7.

Quintò eadem Dei prædicata affirmatiua, aut sunt absoluta, aut respectiua; siue secundum rem, & ad intra, vt Pater, Filius, &c. quæ tamen huc proprie non pertinent, sed ad materiam de Trinitate; siue solum secundum rationem, & ad creaturas, iuxta S. Thomam art. 7. Hæc rursum, vel ab æterno Deo conueniunt; vel solum ex tempore; quam diuisionem, quia peculiarem difficultatem habet; dub. 2. explicabimus.

Sexto, eadem prædicata affirmatiua, aut formaliter, vt essentialia prædicantur; siue quia directè significant ipsam diuinam naturam; vt est nomen Deus; quamuis fortè impositio ipsius sumpta sit à proprietate quadam Dei, vt rectè S. Thomas art. 8. & dictum disput. 2. q. 1. dub. 1. siue quia formaliter aliquod essentialia prædicatum significant, vt sunt, quæ in recta linea prædicamentali substantiæ posita Deo conueniunt; nimirum hæc quatuor, substantia, viuens, spiritalis, intellectualis: Aut per modum quasi proprietatum Deo tribuuntur: quæ demptis transcendentes, reducuntur ad tria, scientiam nimiram, voluntatem, & potentiam agendi; de quibus adhuc agendum restat qq. seqq. Plura de hac resupra q. 2. dub. 1. huius disputationis, vbi de varietate attributorum diuinorum egimus.

DVBIVM II.

An quædam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno; vel non substantialiter, aut ex tempore.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 2. & 7.

Asertio I. Nomina quædam de Deo dicuntur substantialiter, ac proinde non solum negationem, aut relationem causæ ad creaturas, veluti effectus Dei, sed positivam aliquam in Deo perfectionem significant. Ita S. Thomas q. 13. a. 2. & consentiunt Alensis 1. p. 48. m. 4. art. 3. Bonauentura in 1. d. 22. a. 1. q. 4. Richardus a. 1. q. 5. Ægidius q. 4. Durandus q. 2. Marsilius in 1. q. 25. a. 3. post Damascenum lib. 1. de fid. cap. 4. & 12. Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. & 7. & est communis hodie omnium Theologorum contra obsoletas quasdam opiniones Doctorum à S. Thoma ibidem optimè refutatæ; quorum aliqui dixerunt (inter quos ab eodem refertur Rabbi Moyses) omnia nomina Dei, etiam affirmatiua & absoluta magis inuenta esse ad aliquid remouendum à Deo, quam ad aliquid ponendum in ipso: ita vt eum dicimus, De-

um esse viuentem, significemus, Deum non hoc modo esse, sicut sunt res inaniam. Alij vero dixerunt; hæc nomina, quando Deo tribuuntur, solum imposita esse ad significandam habitudinem eius ad res creatas; ita vt eum dicimus, Deum esse bonum, sensus sit, Deum esse causam bonitatis in rebus creatis, & sic de alijs.

Quorum utrumque rectè refellit S. Thomas tribus rationibus. Primò, quia secundum neutram hanc sententiam assignari potest ratio, quare alia nomina potius ac verius de Deo dicantur, quam alia; v. g. bonum esse potius, quam corpus esse: quandoquidem non minus est causa corporum, quam bonorum; nec minus etiam per hoc, quod dicitur corpus esse, remouetur à Deo aliquid, quod Deo non conuenit, nimirum esse Ens in potentia tantum; sicut est materia prima. Secundo, quia sequeretur omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, postèrius ac minus principaliter dici de Deo, quam de creaturis: sicut sanum postèrius ac minus principaliter dicitur de medicina, quam de animali; eo quod illic solum modo causam sanitatis; hic sanum formaliter significet: id autem falsum esse ex S. Thoma dicitur dub. 3. Tertiò, quia hoc est contra intentionem loquentium de Deo. Aliud enim intendimus dicere, cum dicimus Deum viuentem, quam quod sit causa vitæ nostræ; vel quod differat à corporibus inanimatis.

Denique his accedit ratio ostensa. Quia nomina, quæ Deo tribuimus, ita Deum significant, sicut nos Deum cognoscimus; ita autem cognoscimus, sicuti nobis per creaturas representatur; at vero ex creaturarum representatione non cognoscimus de Deo solum quid non est, nec solum relationem causæ; sed etiam perfectiones quasdam, quæ in ipsis creaturis existentes eminentissimo modo, sed formaliter tamen ipsi Deo, tanquam primo principio omnium perfectionis, insunt; si modo, vt superius dictum, nullam imperfectionem in suo conceptu formali inuoluant: Ergo etiam potest ita Deus secundum perfectiones, quæ in ipso formaliter insunt, adeoque substantialiter à nobis quibusdam nominibus significari.

Nec obstat S. Dionysius cap. 1. de diuin. nom. vbi ait: *Omnnes etiam sanctas Theologorum laudes, beneficiis diuinitatis progressionibus explicandæ, atque laudandæ, diuina nomina inuenies fingere.* Nam vt rectè notauit S. Thomas eod. art. 2. ad 2. non negat S. Dionysius, diuinis nominibus aliud significari, quam progressionem seu causalitatem diuinitatis in ordine ad creaturas; sed vult has quidem progressionem simul celebrari cum diuinis nominibus, præcipue quando ab ipsis hæc nomina Deo fuere imposita; attamen simul formaliter aliquam in ipso etiam Deo perfectionem significari, vt ex ijs, quæ mox subiungit S. Dionysius colligitur. *Et aliud est quandoque,* inquit S. Thomas, *à quo imponitur nomen ad significandum, aliud ad quod significandum nomen imponitur; sicut lapis, inquit, dicitur ab eo, quod ledit pedem; & tamen significat certam speciem corporis, &c.*

Similiter intelligendum, quod ait Damascenus lib. 1. orthod. fid. cap. 4. *De Deo quid est secundum substantiam, dicere impossibile.* Et infra. *Quæcumque per Theologiam affirmatiua de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam significamus.* Prior

enim.

enim locus loquitur de perfecta & quidditatiua Dei cognitione, vt rectè S. Thomas hic a. 2. ad 1. posterior de attributis diuinis intelligitur, vt mox ibidem subiungendo significat: neque negat Damascenus, hæc significare Dei substantiã, sed negat solũ formaliter significare ipsam naturam Dei; quod verum est ex dictis q. 2. dub. 1. 5. & 6.

3 Assertio II. Ea nomina substantialiter de Deo dicuntur, quæ formaliter & directè ipsam substantiam siue entitatem Dei, sub quacunque demum ratione, seu absoluta, seu relatiua, significant; non autem quæ formaliter solam negationem, aut solam relationem rationis ad creaturas significant. Hæc est doctrina S. Thomæ cit. art. 2. vbi expressè dicit, *ea quæ dicuntur de Deo negatiue, vel quæ relationem ipsius ad creaturam significant, substantiam eius nullo modo significant, sed remotionem alicuius ab ipso, vel relationem eius ad alium, vel potius alicuius ad ipsum: secus esse de nominibus, quæ absolute & affirmatiue de Deo dicuntur;* sicut bonus, sapiens, & huiusmodi, &c. Eademque est ratio nominum relatiuorum Dei ad intra, seu quæ realem aliquam in Deo relationem significant, vt rectè Vasquez eodem art. 2. etsi nonnulli dubitent, quando S. Thomas nullam eorum fecit mentionem; ideo nimirum, quia hoc loco de attributis Dei solum absolutis, & quæ Deo, vt vnus est, conueniunt, non relatiuis ad intra disserit. Quam doctrinam etiam indicauit antea Ioannes Cyparissiorus capite quarto decade 9. vt notatur Turrianus in scholijs ibidem, & Vasquez hic art. 2. num. 29.

4 Et ratio ita loquendi clara est: quia cum omnia, quæ in Deo intrinsecè existunt, sint vna quadam simplicissima entitas & substantia diuina, imo verò etiam formaliter substantiales quædam, non accidentales Dei perfectiones sint; rectè dicuntur omnia nomina, quæ vlla ratione formaliter aliquam Dei perfectionem seu entitatem significant, ipsam Dei substantiam, adeoque Deum ipsum substantialiter significare. Eadem est doctrina S. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 1. & 7. vbi ait: *Deo hoc est Esse, quod forte esse, & si quid de illa simplicitate dixeris, quæ eius substantia significatur.*

Fatendum tamen est, abstrahendo à mente S. Thomæ, posse eam partitionem diuinorum nominum etiam aliter accipi; sicut etiam auctores superior citati non omnes eam eodem modo explicant; diuersa quidem, sed non opposita, nec ideo falsam, aliquid re ipsa docentes. Duobus autem potissimum modis alijs hæc res potest explicari. Primò nimirum, vt substantialiter prædicari, distinguatur contra accidens prædicabile, seu quinti vniuersalis. Quo modo omnia & sola illa prædicata, quæ siue ex tempore, siue ab æterno Deo conuenientia, significant ordinem ad creaturas aliquando existentes, de eo prædicabuntur non substantialiter; cætera verò omnia, quamuis relatiua & negatiua, vt Incorporeus, increatus, infinitus, &c. substantialiter. Et quamuis aliqui recentiores Interpretes ita explicent S. Thomam; id tamen ei minimè consentaneum est hic art. 2. & 7. vt ex dictis constat, & rectè notauit Vasquez eod. art. 2.

Secundò etiam accipi potest pro eo, quod vt sic formaliter, & iuxta nostrum modum concipiendi,

dicit ipsam diuinam essentiam, & non solum quandam quasi ipsius proprietatem. Quo sensu Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. & 12. negat, nomina, attributorum significare formaliter substantiam, siue Essentiam, & quidditatem Dei, vt paulo antea dictum. Sed nec isto modo accipit S. Thomas eam partitionem, vt pote, qui attributum boni, sapientis, &c. dicit substantialiter Deum significare, vt vidimus. Iam verò vt intelligatur, quænam nomina relatiua directè & formaliter dicant solam relationem ad creaturas, non autem substantiam diuinam, est

5 Assertio III. Sola quidem, sed non omnia nomina relatiua, quæ ex tempore de Deo dicuntur, significant directè solam relationem ad creaturas; sed illa tantum, quæ de Deo dicuntur, tanquam relatiua secundum Esse; vt Dominus, pater, respectu creaturæ: non autem quæ sunt quasi relatiua secundum dici, vt Saluator, Creator, Creans, &c. hæc enim directè significant ipsam etiam actionem Dei immanentem, adeoque ipsam substantiam & Essentiam Dei, licet ex consequenti importent seu consignificent habitudinem ad creaturas. Ita expressè S. Thomas hic quæst. 13. art. 7. ad 1. vbi ita distribuit nomina Dei relatiua ad creaturas; & patet ex similitudine etiam in rebus creatis nomina hæc, Operans, causans, efficiens, generans, &c. non dicunt solam habitudinem, seu relationem, sed ipsam actionem. Et quamuis in rebus creatis solum dicant actionem transeuntem, in Deo tamen, qui voluntate agit & intellectu, denotant etiam actionem immanentem, iuxta S. Thomam loco citato. Neque verò dici potest, actionem transeuntem iuxta S. Thomam esse, in agente, sed solum in passio, vt patet infra quæst. 18. art. 3. ad 1. & ex 1. 2. quæst. 3. a. 2. ad 3. Dices, inde consequi, etiam creationem, quæ videtur abstractum à create, significare formaliter Dei substantiam. Respondeo negando sequelam; quia creatio non est abstractum à create, sed, vt ita dicam, à creatu.

Quare non probatur id, quod Suarez lib. 1. cap. 32. num. 5. & Vasquez quæst. 13. art. 2. significant, omnia & sola illa nomina, quæ de Deo ex tempore dicuntur, vt Dominus, Creator, Saluator, &c. (non autem prædestinans, præsciens, &c.) significare formaliter non substantiam Dei, sed solam relationem, adeoque dici de Deo non substantialiter.

Iam verò quod ad alteram partitionem attinet, in titulo huius dubitationis insinuatam; quænam nomina de Deo dicantur ab æterno, vel ex tempore est

6 Assertio IV. Sola quidem, at non omnia nomina, quæ significant relationem Dei ad creaturas aliquando existentes, dicuntur de Deo ex tempore; sed illa tantum, quæ significant, & consequuntur actionem aliquam Dei transeuntem, vt Creator, Saluator, Creans, Saluans, Dominus: quæ verò significant relationem consequentem præcisè actionem Dei immanentem, vt prædestinans, præsciens, &c. dicuntur de Deo ab æterno, Ita S. Thomas hic quæst. 13. a. 7. in corp. & ad 3. & cum Magistro in 1. d. 3. d. sententia communis Doctorum. Idem fatetur tandem S. Augustinus l. 5. de Trinit. c. 16. & 15. vbi ait: *Si Dominus non dicitur, nisi cum dicitur habere seruum, etiã ista appellatio, & ex tempore est Deo. Non sempiterna creatura*

est, cuius

est, cuius est ille Dominus; quamuis antea hac de re adeo fuerit dubius, vt lib. 12. de ciuit. Dei. c. 15. plane confessus fuerit, se nescire illius solutionem.

Ratio primæ partis est; quia cætera prædicata, quæ non significant aliquam relationem Dei ad creaturas, aut sunt negatiua; quæ cum vel remoueant aliquam imperfectionem, aut cerrè actualem processionem creaturarum à Deo, non possunt ab æterno Deo conuenire: aut sunt affirmatiua absoluta, quæ cum absolutam aliquam in Deo perfectionem significant, non possunt non etiam ab æterno Deo competere; cū Deus sit Ens vndiquaq; necessarium & immutabile: aut dicunt habitudinem ad creaturas solum vt possibiles; & cum ad has itidem Deus semper eodem modo sese habeat, tam secundum intellectum, quam voluntatem, aut etiam potentiam operatiuam; sicut & hæ vicissim ad illum; nec ista quidem possunt Deo ex tempore conuenire. Restat ergo, vt sola nomina, quæ dicunt relationem ad creaturas aliquando existentes, Deo ex tempore conueniant; vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hic quæst. 13. p. 4.

7 Ratio secundæ partis, quod hæc tamen non omnia ita Deo conueniant, &c. est, quia nomina relatiua tunc verè conueniunt alicui rei, quando adest fundamentum proprium eiusmodi relationum: at verò fundamentum relatiuorum nominum, quæ significant relationem præcisè consequentem actionem Dei immanentem, conuenit Deo ab æterno; cum fundamentum hoc sit ipsa actio immanens Dei, quæ utique ab æterno est in Deo; aliorum verò fundamentum est non sola actio immanens Dei, quamquam hæc etiam ijs nominibus significatur, vt superius ex S. Thoma dictum, sed etiam actio transiens; imò ipsa etiam relatio realis creaturæ ad Deum; quando quidem Deus non refertur ad creaturas realiter, sed solum relatione rationis, licet creaturæ referantur ad Deum realiter, adeoque ipsa inter se inuicem relatione non mutua: cuius generis relatiua, ideo ad aliud referri dicuntur; quia aliud realiter refertur ad ipsa, iuxta Aristotelem 5. Metaph. cap. 15. vt rectè etiam notauit S. Thomas cit. art. 7. & 2. cont. gent. cap. 12.

Cuius quidem hæc doctrina, relationes Dei ad creaturas non esse reales, sed solum rationis, communiter est recepta ab omnibus ferè Theologis speciatim à S. Bonauentura in 1. d. 30. q. 3. Richardo q. 4. Scoto ad q. 2. Capreolo q. 1. a. 1. Henrico quodlib. 9. q. 1. Ferrariensi loc. cit. Caietano & alijs Thomistis hic à 7. & rectè defenditur à Gregorio de Valentia q. 14. p. 4. Vasquio hic à 7. & disp. 104. c. vlt. etiam in modo loquendi differant Ockam & Gabriel in 1. d. 30. q. 5. Durandus q. 3. Marfilus in 1. d. 32. a. 1. & Ariminenfis in 1. d. 28. quæst. 3. a. 1. qui has relationes reales vocant, non rationis; non quod sint aliquid reale Deo ad hærens, sed quia seclusa omni mentis conceptione, Deus realiter creat, & est illud, quod dicitur Creans, aut Creator; quod tamen non sufficit; sed requiritur, vt ratione talis actionis realiter referatur ad creaturas; quod Deo non conuenit: quia alias Deus aliquo modo penderet à creatura, sicut relatio pendet à termino. Quare multo minus audiendi sunt quidam recentiores, in quibus etiam est Albertinus, relatus dub. 8. resp. ad 3.

qui concedunt, eiusmodi relationes in Deo esse reales, etiam hoc sensu, quod Deus realiter referatur ad creaturas; ipsæque sint realiter & intrinsece in Deo: quod tamen Vasquez hic num. 37. merito pro absurdo habet, & pro re hætenus inaudita; saltem loquendo de relationibus ad creaturas, quæ vel ex tempore, vel ab æterno liberè Deo conueniunt; quicquid sit de ijs, quæ Deo necessario conueniunt ab æterno.

Obijcitur. Si relatio dominij ad creaturas non est in Deo, secundum rem, sed solum secundum rationem; sequitur, Deum non esse realiter Dominum aut Creatorem; quod tamen est falsum.

Respondent bene S. Thomas cit. art. 7. ad 5. negando sequelam: quia satis est vt fundamentum eiusmodi relationum, & ratio ipsa etiam fundandi sint realia, realiterque Deo competant, siue intrinsece, vt est potentia Dei actiua ad extra, vna eum actione Dei immanente, à qua procedit actio transiens ad creaturas; siue per denominationem extrinsecam, vt est actio transiens creationis, simul cum relatione reali subiectionis & dependentiæ creaturarum ad Deum. Quæ etiam causa est, cur quædam eiusmodi nomina dicantur Deo conuenire ab æterno; tamen si connotent relationem ad creaturam, quæ ab æterno non existit; cum nec Deus eiusmodi entia rationis formet, nec ullus intellectus creatus fuerit ab æterno, qui formaret: satis enim est, quod fundamentum eiusmodi relationum, ea quidem ratione, qua fundamentum est, fuerit ab æterno. Si quidem fundamentum relationis præscientiæ diuinæ v. g. non est creatura ipsa, vt actualiter existens ab æterno; sed vt aliquando existentiam habitura in tempore; quod de creatura ab æterno verificatur.

Ex quibus colligitur creationem absolute & simpliciter loquendo non esse ab æterno in Deo; vt rectè etiam Aureolus & Ariminenfis apud Capreolum in 2. d. 1. q. 1. & sumitur ex S. Thoma hic loc. cit. & 2. cont. gent. cap. 35. & de potent. q. 3. a. 17. ad 2. 6. & 30. Nec dissentit Bannes 1. p. q. 45. a. 3. quicquid Albertus Magnus in cap. 4. Dionysij de cæl. hier. dixerit, Deum quidem ab æterno creare res, sed res non esse ab æterno creatas: quæ inter se non rectè cohærent. Plura de hac re disp. 6.

DVBIVM III.

An nomina communia Deo & creaturis de vtrisque vnivocè, an solum æquivocè, vel analogicè prædicentur.

S. Thomas 1. p. 13. a. 5. & 6.

DE hac re optimè docet S. Thomas cit. q. 13. a. 5. cuius doctrina his assertionibus cõprehenditur.

Assertio I. Nomina communia Deo, & creaturis non prædicantur de vtrisque mere æquivocè. Est communis doctrina; & nunc extra controuersiam: quicquid olim hic quidam à S. Thoma commemorati in contrarium dixerint. Probatur ratione S. Thomæ. Quia alias ob vitium æquivocationis, nihil ex creatu-

creaturis de Deo posset cognosci vel demonstrari, quod est contra Apostolum Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* & contra Aristotelem 1. 8. Phyl. & 12. Metaph. Vbi multa de Deo ex creaturis demonstrat. Id vero quod in hac ratione assumitur, limitant Caietanus cit. art. 5. & Gregorius de Valentia q. 13. n. 3. ut intelligatur futurum ut nihil possit de Deo demonstrari ex creaturis, sub eodem nomine; quia tunc in maiori & minori propositione variaretur medi⁹ terminus, ut videre est in hoc syllogismo. Omne ens est bonum: Deus est ens: ergo Deus est bonus, &c. Tametsi nichilominus, iniquiunt, alia quaedam, ut Deum esse incorporeum, esse primam causam, esse Creatorem, &c. ex creaturis possent demonstrari, prout suis proprijs nominibus appellantur, eo ipso quod non sunt entia ex se.

Sed non video, cur opus sit limitatione: siquidem si nullum nomen de Deo & creaturis predicaretur nisi mere aequiuoce, tunc Deus & creatura in nulla plane communi ratione per vllum nomen significata conuenirent: si enim talis quaedam esset communis ratio, ea utique aliquo nomine utrisque communi significaretur, quod proinde utrisque non pure aequiuoce conueniret: At vero si Deus & creatura in nulla plane ratione per nomen significata conuenirent, nihil plane de Deo cognoscere vel demonstrare possemus: neque hoc ipsum quidem, quod Deus non esset creatura, sed rationis omnino diuersa a creatura: quandoquidem ipse conceptus negationis, aut rationis ex creaturis desumptus Deo non nisi aequiuoce conueniret. Præterquam quod eorum demonstratio de Deo & creaturis, præsertim ostensiva, mediata vel immediate resoluitur in medium terminum aliquo modo communem Deo & creaturis, ut inductione probari potest. Nam in hoc ipso syllogismo: Nullum ens ex se est finitum: Deus est ens ex se: Ergo non est finitum. Ratio entis, ut & ratio finiti, quarum illa tribuitur Deo in medio termino, hæc remouetur in maiori extremo, communis est Deo & creaturis.

Assertio II. Eadem nomina (positiua) non predicantur de Deo & creaturis vniuoce. Ita cum S. Thomæ cit. art. 5. haberet communis sententia Doctorum contra Scotum in 1. dist. 3. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 2. qui docet, ea nomina de utrisque predicari vniuoce. Probat^r a S. Thomæ tribus rationibus. Prima. Quicquid predicatur de aliquibus secundum idem nomen, & non secundum eandem rationem, id de eis predicatur aliquo modo aequiuoce, non vniuoce: sed nullum nomen conuenit Deo secundum illam rationem, secundum quam dicitur de creatura. Nam sapientia in creaturis est qualitas, non autem in Deo: genus autem variatum mutat rationem, cum sit pars definitionis: & eadem ratio est in alijs. Secunda ratio: Deus plus distat a creaturis, quam quæcunque creatura ab inuicem; hæc enim inter se distant finite solum, ille ab his infinite: sed ob distantiam, quarundam creaturarum sit, ut nihil vniuoce de eis predicari possit; ut patet in substantia & accidente; & alijs quæ non conueniunt in aliquo genere: Ergo multo minus de Deo & creaturis aliquid vniuoce

prædicatur. Tertia. Ad hoc ut aliquod nomen prædicetur de aliquibus vniuoce, necesse est, ut ratio per nomen significata in utrisque sit adæquate eadem; nec adeo in vno eorum intrinsece & essentialiter plus contineat, quam in altero; at vero hoc non accidit in Deo & creaturis: quia ratio sapientia v. g. prout nomine sapientia significata creaturae tribuitur, est aliquid a cæteris omnibus perfectionibus hominis, quæ nomine sapientia formaliter non significantur, essentialiter distinctum; puta nimirum ab hominis essentia, potentia, existentia, &c. At vero eadem ratio sapientia, prout per nomen sapientia significata Deo tribuitur, non est aliquid obiectiue & a parte rei quidditatiue distinctum ab essentia, potentia & existentia Dei, sed hæc omnia quidditatiue & essentialiter includit, ut superius suo loco dictum q. 2. quare etiam nomen hoc sapientia in Deo relinquit rem significatam, ut incomprehensam & excedentem nominis significationem; cum, tamen in creatura quasi circumscribat & adæquet rem significatam. Et eadem ratio est de alijs eiusmodi nominibus perfectionem aliquam in Deo & creaturis significantibus.

Ex qual limitatione S. Thomæ colligitur, sermonem hic esse proprie de nominibus communibus Deo & creaturis positiuus, ut in assertionem diximus; nam negatiua, ut Incorporeus, Immaterialis, secundum suum formale significatum spectata, cum nihil nisi negationem eiusdem imperfectionis utriusque significant, nihil obstat de Deo & creaturis, ex parte rei formaliter significata, vniuoce predicari. Neque argumenta Scoti in contrarium obiecta, plus probant, quam quod Assertionem 4. dicturi sumus, eandem esse rationem formalem communissimam sapientia, prout de Deo & creaturis predicatur, ut sigillatim videre est apud Caietanum & Gregorium de Valentia loco citato.

Assertio III. Eiusmodi nomina de Deo & creaturis predicantur analogice. Ita cum S. Thomæ ibidem communis. Probat^r tum ex dictis. Quando enim idem nomen predicatur de pluribus, aut predicatur pure aequiuoce, aut vniuoce, aut analogice: sed nomina hæc non predicantur de Deo & creaturis pure aequiuoce; nec vniuoce, ut dictum. Ergo. Tum quia illa predicantur analogice, quorum ratio per nomen significata, nec est omnino eadem ut in vniuocis, nec omnino diuersa, ut in pure aequiuocis; sed aliquo modo eadem: id autem fit in proposito, vbi est quidam ordo ac proportio causa & causati; item excedentis & excessi; inter Deum & creaturas, secundum rationem per nomen significatam; qualis v. g. est in sano respectu medicina & animalis.

Assertio IV. Analogia hæc est cuiusdam proportionis, atque eorum analogorum propria, quibus, etsi conceptus obiectiuos, ad quos significantes fuerunt imposita, a parte rei plane diuersos, & plus quam genere differentes habeant, ut dictum, per abstractionem tamen intellectus respondet vnus conceptus formalis: de quibus proinde etiam scientia & vna definitio esse potest, quæque simpliciter, & proprie dicuntur de omnibus analogatis. Primam partem expresse tradit S. Thomas hic art. 5. vbi hæc analogia vocat secundam proportio-

nem. Ratio est; quia non sunt analogia per solam attributionem ad aliquid tertium, in quo solo formaliter reperitur ratio per nomen significata. ut accidit in sano respectu medicinae & vrinæ: sed tam Deus, quam creatura formaliter habent rationem per nomen significatam; tamen cum quadam subordinatione creaturae ad Deum, veluti causam & principium: ob quam solam causam. S. Thomas comparat hæc Analogia cum sano respectu medicinae & animalis, cum tamen hæc in eo differant, quod sanitas formaliter est in solo animali, in medicina vero solum causaliter.

6 Posteriorē partem recte tradunt Molina hic art. 5. Gregorius de Valentia cit. punc. 3. & fere Suarez hic libro primo capite nono, numero vndecimo, & Disputatione Metaphysica vigesima octava, idemque probant argumenta Scoti loco citato. Primo; quia potest intellectus esse certus de aliquibus, quod sit Ens, vel sapiens verbi gratia, & tamen ulterius inquirere, num sit Deus vel creatura: Ergo signum hoc est eiusmodi nomina significare vnum conceptum commune Deo & creaturae. Secundo quia possumus à perfectionibus creaturarum abstrahere vnum aliquem conceptum eiusmodi, qui nullam includat imperfectionem; vt sapientia V. G. & proinde illum verè attribuerē Deo, etiam absque conceptione particularis modi, quo conceptus ille Deo conuenit. Denique similis est ratio Entis, prout substantiæ & accidenti conuenit, vt ex veriori in Metaphysica traditur.

Assertio IV. Nomina, quæ metaphoricè Deo tribuntur, prius ac principalius conueniunt creaturis, quam Deo: quæ vero de vtriusque proprie dicuntur, si res significata spectetur, prius & principalius dicuntur de Deo, quam de creaturis; si vero nominum impositionem spectemus, prius de creaturis, quam de Deo dicuntur. Ita S. Thomas hic quaestio. decima tertia articulo sexto ex communi. Et ratio primæ partis est; quia nomina, quæ solum metaphoricè Deo conueniunt, de creaturis quidem proprie, de Deo autem non nisi improprie dicuntur; quocirca etiam per similitudinem & ordinem ad creaturas explicari debent. Ratio secundæ partis est; quia ratio per nomen eiusmodi significata, principalius & longè excellentius est in Deo, quam in creaturis. Ratio tertiæ partis; tum quia creatura prius à nobis cognoscuntur, quam Deus; illis ergo prius à nobis hæc nomina sunt imposita, quam Deo. Tum quia nomina huiusmodi habent modum significandi in concreto, vel in abstracto; qui proprie creaturis conuenit, non Deo, vt dictum dub. 1.

DVBIVM VI

An Deus possit aliquo nomine significari quidditatiuè.

S. Thomas q. 13. a. 1.

1 Sensus dubitationis est, an Deus aliquo nomine vocali, seu ex impositione significante, signi-

ficari possit quidditatiuè, & sicut est, seu quod idem, an possit aliquod nomen ingenerare conceptum Dei quidditatiuè, non connotando rem aliam, nec representando Deum instar alterius, sed faciendo vt intelligatur clarè & directè in seipso, sicut est, ac quasi per propriam, non alienam sui speciem, iuxta ea, quæ de quidditatiua cognitione dicta sunt quæst. præced. art. 1. de qua resunt quinque Doctorum sententiæ.

Prima est eorum, qui nominis significationem solummodo metiendam rati ex eius cognitione, qui nomen imponit, vel usurpat, dicunt à Deo quidem & Beatis nomine aliquo significari posse quidditatiuè Deum, non autem à Viatoribus. Ita Capreolus in 1. d. 22. art. 1. quaest. 1. Bassolis quaest. 1. art. 2. Ferrariensis 1. cont. gentes cap. 31. Caietanus hic quaest. 13. artic. 1. cum quibus ex parte consentiunt plures, qui absolute docent, nomen significationem penlandam esse ex cognitione, quam habet, qui nomen imponit; in quam sententiam Vasquez hic d. 57. cap. 1. refert plerisque veteres Scholasticos, speciatim Antihodorensem, Alenssem, Albertum, Bonauenturam, Richardum, Marsilium, Henricum, Durandum, Argentinam, & ipsum S. Thomam hic art. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 3. sed qui æque iuxta sensum quartæ sententiæ intelligi potest.

Secunda sententia est aliorum, qui ex sola audientium cognitione, quam audito nomine, de re significata concipiunt, nominis significationem penlandam rati, asserunt, non solum à Deo & Beatis, sed etiam à Viatoribus, posse Deum quidditatiuè, & vt est, nominando significari, non quidem ipsis Viatoribus, sed Beatis. Ita Vasquez cit. Disp. 57. cap. 2. num. 9. qui pro eadem sententia citat etiam Scotum in 1. dist. 22. quaest. vn. & qui eundem sequuntur Ockam eadem d. q. vn. & Gabrielem q. vn. a. 3. Sed hi plus etiam sentiunt, vt mox dicemus.

Est igitur tertia sententia eorum, qui nominis significationem, seu vim significatiuam metiendam putant, nec ex loquentis, nec audientis cognitione, quam de re significata habent; sed ex voluntate & intentione directè imponentium nomen, ad ipsam in se substantiã rei significandam; esto nec ipsi loquentes nec audientes alij intelligant quidditatem rei; quare absolute docent, nomen Tetragramaton, item Deus, & similia plura, distinctè clarè & quidditatiuè, quantum scilicet in se est, significare Deum, siue essentiam Dei, à quocunque, & ad quemcunque usurpentur: & addunt, ab ipso etiam homine viatore imponi eiusmodi nomina posse, ad Deum quidditatiuè significandum, tamen cum quidditatiuè non cognoscat: sicut inquit, nomen lapidis inter homines significat quidditatiuè essentiam lapidis, est eam in se quidditatiuè conceptu non cognoscimus; quod ingenis de me profiteor, inquit Molina, hic a. 1. et si Gregorius de Valentia hic q. 13. p. 1. Suarez 1. 2. c. 21. & ipsemet S. Thomas hic 1. q. 13. a. 8. ad 2. quod ad hoc exemplum attinet, contrarium profiteatur. Atq; ita hanc sententiam tradunt Scotus, Ockam Gabriel loc. cit. quos ferè etiam sequitur Molina loc. cit.

Quarta sententia est, significationem nominis expèdèdã esse, ex modo cognoscèdi vtriusq; tã audientis, quã imponētis seu usurpantis nomen, ac proinde quidditatiuè

ditatiuè

ditatiue non posse Deum significari aliquo nomine, nisi à Deo & Beatis; & quidem inter ipsos solum, seu potius ad ipsos solum Beatos (cū Deo proprie nihil per nomina significetur, vt superius dictum dub. 1.) non autem Viatoribus, aut à Viatoribus. Ita Henricus in summa art. 73. quaest. 5.

3 Quinta sententia est, nec istud quidem satis esse, ad vim & significationem nominis constituendam; sed praeterea requiri, vt nomen aliquod per se & sua vi propria conceptū quidditatum rei ingeneret audientibus quod nullū nomen facit; cum potius omne nomen per se tantū abstractiuam cognitionē rei menti ingeneret, qua nimirū res cognoscitur per speciem alienam ipsius nominis. Idcirco nullū omnino nomen vocale, à quo cūq; & ad quoscūq; vsurpetur, esse, aut esse posse nomen quidditatiū Dei. Ita Suarez hic l. 2. c. 21. Quod si ita esset, tū nullum omnino nomen quidditatiue significaret re illā, ad quam significandam est impositū; ac proinde nec ipsum vocabulū *Deo* quidditatiue significaret hominē; quod tamen videtur cōtra communem sensum omnium, & aperte est contra S. Thomam hic q. 13. a. 1.

Breuius itaq; dico, rem hāc omnē esse solius nominis quaestionē, quidnā ad quidditatiuā significationē nominis alicuius requiratur, vt rectē notauit Vasquez c. 2. n. 6. & facile ex dictis liquet. In quā tamē hęc duo distinguo, nimirū vim ipsā significandi nominis alicuius in actu primo; & actualē significationē. Etenim vim significatiuā nominis in actu primo pensandam solummodo existimō ex impositione nominis, a deoq; ex mente & voluntate, seu intentione nomen imponentis, non qualibet tamen, sed morali & prudenti; qua nimirū in ordine ad comunem usum loquentiū, pro quib; ipse nomē hoc imponit. velit hoc aut illud eo nomine directē & distinctē significari; siue ipse distinctā eiusmodi cognitionem habeat, siue non. Per impositionē a. nominis intelligo, tam primam impositionē, quam usum comunem loquendi, habentem vim impositionis. Quod ita oī tertia sententia sentio. Et ratio est. Quia sicut ipsa nominis significatio absolute pendet ex imponentis voluntate, ita etiā modus & vis significandi.

4 Dixi tamen, *moralis est prouidētis*, qualē nimirū omnes, qui nomina imposuerūt habuisse cōsentiunt. Quo fit, vt nemo imponentiū nomen aliquod, & nec ipse Deus, pro comuni vsu Viatorū (pro quibus nimirū solis omnis impositio nominū nobis cognita directē facta est) existimari possit, nomē aliquod voluisse ad distinctā rei alicuius, & claram seu quidditatiuā cognitionē ingenerandā imponere, quē tamen ipsa cognitio ex se, & suo genere quasi vniuerso impossibilis esset viatorib;: quia ita vtq; voluit imponere nomen, prout vsus eorū, p. quibus nomē ipse imposuit, requirebat. In quo proinde ab authoribus tertie sententiae aliquo modo dissentio, vt mox dicam.

Quod vero ad actualē significationē nominis attinet, absolute ceteris probabiliorē iudico quartā sententiā, hoc tamē sensu, vt existimē, nominis significationē non solū ex mente & voluntate imponentis, sed ex cognitione etiā non quidē loquentis, sed audientis esse pensandā: ita vt nomen illud quidditatiue rem aliquā significet, quod & ex mente imponentis impositū est, ad essentia rei alicui; quidditatiue significandā; atq; etiā hic & nūc, iuxta cōditionē & cogni-

tionē audientis, quā de re ipsa habet, quidditatiuā ei cognitionē ingenerat. Prima pars sequitur ex praecedēti doctrina; nullū n. nomē potest aliquid in actu secūdo significare, nisi in actu primo vim habeat ita significandi. Secundā partē amplector cū authoribus secundā sententiā. Ratio est. Quia supposita vi significandi ipsius nominis in actu primo, ipso vsu loquentis vtq; id ipsū re ipsa & in actu secūdo significatur audienti, quod nomen in actu primo significat; si modo vim & significatum nominis ipse probe intelligat.

Et confirmatur. Quia nemo dicere solet, se per vocabula graeca, vel hebraica aliquid alteri significasse, quē audiēs nullo modo intelligit; ac proinde nec dicere absolute potest, se illi quidditatiue aliquid significasse, si audiēs re significatā quidditatiue non intelligat: etsi dicere possit se quātū in se est, illi ita significasse, aut potius voluisse significare. E cōtrario vero fieri potest vt is qui loquitur, verba distinctē non intelligat, & tamen nihilominus distinctē dicatur audienti rem significasse: vt si rudi internūcio verba quēdā hebraica vel graeca alteri corā denuntianda commendem, eaq; is coram altero, vt iussus fuerat, voce depromat. Idem accidit cū Moniales P. Palmos, aut alias orationes latinas ad Deum vel Sanctos recitant; quibus distinctē significat ipsi, quod orationib; illis significatur; etsi ea ipsē distinctē non intelligat.

Et saepe aliās fieri potest, vt aliquid alteri audienti distinctius significetur, quā à loquēte fuerit intellectū. Vt si quis qui nunquā vidit Romā, nec loca sancta illi; nec vestigia illa antiquitatis, ex relatu solum, aut lectione librorū, alteri qui omnia vidit referat ac representet; hic certē ea multo melius alteri significat, quā dicit, quam ipse intelligat; quod est exemplum Vasquij n. 10. Ergo actualis significatio nominū non tam ex notitia loquentis, quā audiētis pensanda est. Neq; refert quod nomina sunt symbola quādā circa loquentem & audientē; ita vt per illū huic significet hinc n. solū sequitur, loquentis etiā interuentu opus esse, vt nominibus aliquid audienti significetur; non tamē sequitur, ex eius notitia per se ac vniuersim dependere significationē, aut vim significandi nominis: esto ex eius mente non nunquam, quasi per accidēs, ambigua nominis significatio metienda sit: de qua re in materia de Sacramentis in genere agendum est.

6 Ex quibus nūc breuius ad presentē quaestionē vni- ca assertionē respondeo: Nec vocabulo *Deus*, nec vllō alio nomine, nobis cognito, Deū significari ullis, seu ab vllis quidditatiue; imo nec ullū tale nomē vim habere significandi Deum quidditatiue. Ita Henricus & Suarez l. c. & videtur mens & sententia S. Thomae hic q. 13. a. 13. vbi ait: *Potest à nobis Deus nominari ex creatura; non tamen ita, quod nomen significans ipsum exprimat diuinam essentiam secundum quod est.* Quod ita etiā absolute tradit Greg. de Valentia q. 13. p. 1. Probatur ex dictis. Quia omnia nomina Dei nobis cognita siue ab hominibus siue ab Angelis, aut Deo ipso, directē solū imposita sunt & instituta, pro vsu Viatorum hominū; quibus quidditatiua Dei cognitio per se & ex suo genere impossibilis est: ergo nullū nomē directē institutū est, & impositum ad significandā quidditatiuā Dei cognitionē: Ergo nullū tale nomen vim habet significandi Deū quidditatiue: ac proinde nec re ipsa Deū quidditatiue significat, quā omnes cōsequētē ex dictis sunt manifeste. Quod si Beati à nobis

audientes nomen Dei quidditatiu cōceptu Deū cognoscunt, id tamen non fit per se & ex significatione nominis, quæ ab ipso etiā imponēte dependet, vt dictū est; sed per accidēs, & quasi preter vim ac meritū nominis, Et cōfirmatur. Quia omne nomē Deī nobis cognitū cū sit vel concretū vel abstractū, habet modū significandi Deū aliquo modo impropriū, adeoq; alienū à modo cognoscendi Deum sicuti est, seu quidditatiua cognitione, vt dictum dub. 1.

7 Non nego tamē, quod expressē etiā cōcedit Hēric⁹ l. c. cū ceteris authoribus, & Deū ipsū sibi, & ceteros beatos, Deo nomē posse imponere, quod Deū quidditatiu significet Beatis; sed nego, tale nobis nomen esse perfectū, aut reipsa reperiri inter ea, quæ hactenus nobis innotuerunt. In quē sensū loqui videtur S. Thomas cit. l. i. cont. gent. c. 3. vbi cōcedit quidē Deū à Beatis significari posse quidditatiu, sed non aliquo nomine nobis hactenus cognitū, sed alio in beatitudine primū cognoscēdo; quo refert illud Zachar. vlt. v. 9. in die illa erit Dominus vnus, & nomē eius vnu. Imo quāuis vis significatiua nominis depēdeat non tā ex cognitione, quā mēte & voluntate rationabili imponētis, vt dictū; nego tñ, posse à Viatoribus Deo nomē imponi, quod ipsū essentialiter significet, non precisē quia in viatore nomē imponēte abest cognitio quidditatiua Dei, q. hæc necessaria sit in impositore talis nominis, vt putat Hēric⁹; sed quia vniuersim Viatorib⁹, p quorū vñ talis impositio fit, impossibilis est talis cognitio, ad quā proinde viatorib⁹ in generāda nemo prudēter velle potest nomē aliquod imponere. Neq; est in hac re nō magni momēti diuti⁹ inherēdū.

DVBIVM V.

Quod nā nomē sit maximē propriū Dei, ceterisq; præstantius, & vtrū nomē Dei Tetragrammatō idē sit cū illo Dei nomine Exod. 3. Qui est.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 8. 9. 10. 11.

1 Quid ad primum attinet, multa quidē tū de alijs Dei nominibus, tū particulatim de illo nomine Tetragrammatō, quod cōsuetū nobis vsu his locis *teho*, uascribere & pñūciare solem⁹, ab Hebræis, & Hebraizantibus literatoribus, alijsq; scripturæ S. Interpretibus differūt, sed quæ ad scholasticā Theologiā parū pertinet. S. Thomas q. 13. a. 11. illud solū quærit, Vtrū nomē *Qui est* sit maximē nomē Dei propriū, vbi tria potissimū nomina inter se confert, nimirū nomē *Qui est*, nomē Tetragrammaton, & nomē Deus; quod nomē esse nature, non proprietatis, aut effectus diuini, dixerat a. 8. idemq; nomen propriē esse incommunicabile, etsi improprietatq; analogicē etiā alijs præterquā vero Deo non nunquā attribuat, asserit a. 9. & 10. quod nos etiā super⁹ hac d. q. 1. d. 1. notauim⁹.

De his igitur nominibus ita inter se collatis cit. a. 11. duo asserit in corp. & ad 1. Primum; inter omnia nomina diuina, nomē illud *Qui est*, quod habetur Exod. 3. v. 14. triplici ratione, seu quod hic idē est apud S. Thomā, ex triplici capite, seu sub tribus considerationib⁹ spectatū, esse maximē propriū Dei: primo quidē propter sui significationē, vel potius vt in resp. ad 1. declarat, propter significationē eius, à quo nomen hoc impositū est, scilicet ab *Esse*. Non enim significat

formam aliquam, per ipsum *Esse*, siue per existētiam quasi vltērius determinabilem; sed ipsum *Esse*, quæ est essentia ipsamet, & quasi forma Dei.

Secundo propter eius vniuersalitatē, siue vt in resp. ad 1. declarat quantū ad modū significandi. Quanto enim aliqua nomina, inquit, sunt minus determinata & magis communia & absoluta, tūto magis propriē dicitur de Deo à nobis; Omnia a. alia nomina, vel sunt minus communia, vel sic uertantur cū ipso, tamē addit aliqua supra ipsum (*Esse*) secundū rationē, & c. Quolibet n. alio nomine determinatur aliquis modū substantiæ rei; sed hoc nomē *Qui est*, nullū modū essēdi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes; & idē nominat ipsam pelagus substantiæ infinitum.

Quod cōfirmatur ex S. Damasceno l. 1. orth. fid. c. 12. vbi ait: *Enimvero videtur princip. diuis omnium de Deo dictorū nominū esse, Qui est; quæ ad modū ipse dās respōdit sicuti Mosi in monte inquit. Dicit filij Israel, Qui est, misit me. Totū enim in seipso cōprehendēs habet ipsum esse veluti quoddā substantiæ infinitū & interminū.* Subiicit tamē Damascenus: *Quæ ad modū a. Jāctus ait Dionysius (c. 3. de diuin. nom.) primariū Dei nomē est Bonū; non n. primū est dicitur de Deo esse, sed ipsū bonū.* Vbi S. Damascenus S. Dionysij opinionem suę videtur opponere, simul tamen etiam postponere; nec omnino sine causa; quia prius ac principalius est in *Entre Esse*, quā bonū esse; illudq; huius est quodammodo sūdamētū. In quē sensum etiā S. Thom. resp. ad 2. S. Dionysij explicans ait, *Bonum esse principale nomen Dei, in quantum est causa, non tamen simpliciter. Nam Esse absolute præintelligitur causa.*

Tertiū ait S. Thomas nomen *Qui est*, esse maximē propriū Dei, ex eius significatione, seu potius con-significatione, siue vt ipse loquitur resp. ad 1. quantū ad modū significandi. Consignificat enim tempus de præseti: quod maximē propriē de Deo dicitur, cuius *Esse* non nouit præteritū vel futurū, iuxta Augustinum 3. de Trinit. cap. 2. & lib. 83. qq. q. 17.

Alterum quod docet S. Thomas cit. art. 11. ad 1. est non vñ; uequa; probetur Valquirio disp. 59. cap. 3. est, his quæ dicta sunt non obstantibus, quantum ad id, ad quod imponitur nomen significandum, esse magis propriū (Dei) hoc nomen *Deus*; quod imponitur ad significandum naturam diuinam (sub proprio scilicet & incommunicabili conceptu confuso ipsius naturæ diuinæ; cum tamen illud *Qui est*, communi ratione etiam creaturæ propriē sit communicabile:) & adhuc magis propriū nomen esse Tetragrammaton: quod est, inquit, *compositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & vt sic licet loqui, singularem*: qua de causa etiam nunquam in scriptura absolute & significatiuē falsis Dijs, aut creaturæ tribuitur. Vnde colligitur, simpliciter & absolute nomen maximē propriū Dei, adeoque ceteris omnibus præstantius esse, nomen illud Tetragramton; quæcunque demum sit, & quæcunque sit eius genuina pronuntiatio: quia præstantia nominis potissimum & absolute spectanda est, nec ex eo, ex quo desumpta est eius impositio, nec ex modo significandi, aut con-significandi; sed ex eo, ad quod directē & formaliter significandum est impositum, seu ex formali eius significato, quod in nomine præcipuum est.

Quod verò ad secundum hac dubitatione propositum attinet, non desunt, qui affirmant, nomen Dei Tetragrammaton, idem esse cum illo nomine Dei he-

braico,

braico, quod habetur Exod. 3. v. 14. & latinè redditum est, *Qui est. Pro hac enim sententia*, inquit Pererius in c. 3. Exod. disp. 12. n. 65. *sunt Hebraei, & nostris linguis hebraicae studiosi*; & Vasquez disp. 59. c. 2. & 3. eandem sententiam ex insitio propugnat; pro qua n. 6. citat è veteribus Clementem Alexandrinum. l. 5. Strom. ubi ait: *Iehoua esse nomē Dei, quod ante præcipitur Qui est, & Qui erit. Idem*, inquit Vasquez, *expressè tradit Theodoretus in quaestione super Exodum q. 15.* E recentioribus autem pro eadem sententia citantur à Vasquio loc. cit. Pagninus, & Mercerus in thesauro, Galatinus lib. 2. de arcana Catholicae verit. c. 10. Lipomanus in Catena, in illud Exodi 3. loc. cit. Eugubinus in eundem locum, & Genebrardus lib. 1. de Trinit. quibus ferè addi potest Ioannes Druſius lib. de Tetragram. cap. 1.

Eandem sententiã valdè probabilem censet Suarez lib. 2. c. 3. 2. n. 25. ubi citat etiam Bellarminū lib. 1. de Christo c. 7. Sed qui, vt existimo, hoc non docuit, solum asserens nomen Tetragramaton ex illo altero *Qui est* esse natum vel deductum; idèq; fortasse sono ac sensu cum persona tercia singulari futuri substantiui à radice *היה* Haia; ea enim est *היה* Iahie, vel alio coniugationis modo, ac magis ad propositum *היה* Ieheue, & rectè verti potest, *Qui est*: quam lectionem etiam recipere potest nomen Tetragramaton: ideoque etiam sensu & origine idem dici possè cum nomine Dei *Qui est*; est sono ac pronuntiatione simpliciter ab eo diuersum. In quem sensum etiam loquuntur alij à Vasquio citati, vt dicemus.

Est enim liquidissimum, ac cuiuslibet, qui vel hebraicè legere norit, manifestum, id quod S. Hieronymus hebraicè doctissimus tom. 1. epist. 136. & tom. 9. in Plal. 146. aperte docet, & hoc loco a. 11. ad 1. tanquam exploratum supponit S. Thomas, vt diximus, & doctentiam Beda annot. in c. 3. Exodi, Hugo de S. Victore, annot. in Exod. c. 1. Burgenſis addit in c. 3. Exod. item Ioann. Druſius c. 1. & 2. de nom. Tetragram. & annot. in opus. Burgenſis de eodem nomine; quibus accedunt alij Hebraei apud Lipomanum in Catena, nomen illud Tetragramaton voce tenus distingui ab illo, seu nomine, vt descriptione Dei, cit. Exod. 3. *Qui est*. Primò quidem, quia in Hebraico textu, ex quo res hæc diiudicanda, pro illo *Qui est* non legitur *היה* Iahie vel *היה* Ieheue, nimirum tercia persona futuri, à Verbo substantiuo *היה* Haia, quæ ad verbū sonat, *Erit*; vt malè supponit Vasquez cit. c. 3. Sic enim nomen Tetragramaton utcumq; probabiliter idem dici posset cum nomine *Qui est*, vt vidimus; sicut & plura alia nomina propria apud Hebræos voce tenus ac sono nil aliud sunt, quam tercia persona singularis futuri, eius Verbi seu radicis, ex qua deriuata sunt nomina, vt videre est in nominibus Isaac, Iacob; in quibus proinde litera initialis Iod simul est ex literis *איהן* Eshan, seu formatiuus futuri, & ex literis *האמנה* Heemantibus siue seruilibus: sed vt rectè etiam notauit Hieronymus loc. cit. & ex ipso textu liquet, in hebraico textu, citato c. 3. Exod. v. 14. ubi Latinus Interpres vertit, *Qui est*, legitur *איהן* Ebie ad verbum, *Ero*; nimirum prima persona verbi substantiui, quæ & sono, & significatione, & literarum figura manifestè differt, tam à supradicta tercia persona futuri verbi substantiui, quam à Tetragramato *יהוה* Iehoua, quæ cumque demum sit genuina

ipsius pronuntiatio; à quo scilicet non vna tantum litera (Iod scilicet in Vau conuerso, vt putauit Vasquez) sed duab; omninò literis, prima scilicet & tercia, quæ sunt Aleph & Iod (vt de punctis taceam) discrepat.

Secundò, in eodem ipso loco Exodi 3. v. 15. Dei nomē Tetragramaton, velut à nomine illo, seu descriptione Dei *Qui est* distinctum subiungitur. Cū enim v. 14. dictum fuisset, *Qui est*, hebraicè *Ehie*, misit me ad vos; mox v. 15. Deus quasi explicatius, magisque propriè suum nomen declaraturus ait, *Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. Hoc nomē mihi est in æternū, & hoc memoriale meū in generatione & generatione.* Vbi pro nomine *Dominus* Græce nõ ponitur *κύριος* quod significat Existēs, seu *Qui est*, sed *κύριος*; hebraicè verò habetur ipsum nomen Dei Tetragramaton *Iehoua*, idemque eodem modo repetitur v. 16. vt manifestum sit, tam apud Græcos, & quidem in ipsorum LXX. Interpretum versione, quam apud Latinos & Hebræos vtrumque nomen esse distinctum.

Tertiò, genuina pronuntiatio nominis Tetragramati aut ignota, aut certè phibita erat vulgo Iudeorum; sicuti ab ijs etiamnum ignoratur, vt colligitur ex Nazianzeno orat. 36. & Iosepho lib. 4. de bello Iudaico c. 12. at pronuntiatio illius *איהן* Ebie, *Qui est*, nulli Hebræo potuit esse incognita, vel insolita.

Quartò, valdè probabilis est ea multorum tam antiquorum, quam recentiorum sententia, illud *Qui est* propriè loquēdo, non esse unum aliquod proprium nomen Dei, sed potius quasi periphrasin quãdam & descriptionē Dei, ex actualitate & perfectione existentie Dei petitum; sicut nomen Christi in terris existentis propriè ac sono tenus non erat *Emmanuel*, sed ita vocatur Isai. v. 14. quia res eo nomine significata eidem nobiscum versanti competeat. Atq; ita sentiunt Beda, Hugo, Burgenſis, & alij apud Vasquez & Pererium locis cit. Argumento est, non solum, quod Deus nomen illic suum Israelitis denuntiatidum vltima resolutione mandans, non sistit in nomine *Qui est*, sed pro illo *Qui est*, nomen Tetragramaton substituit, vt dictum; sed etiam quia ibidem versu 15. *Ehie* positum videtur pro eo, quod ibidem versu 14. immediate à Deo fuerat dictum *אשר איהן* Asher Ebie, ita vt sub illo nomine *Ehie*, quasi per ellipsin subielligatur relatiuū *Qui*, vt etiã latinus Interpres vertit.

Neq; verò citati Patres à Vasquio, alijq; authores oppositū sentiūt, sed solū hæc duo docēt, aut vnū ex his duobus; primū est, nomen Dei Tetragramaton vi & significatione esse idem cum nomine *Qui est*, quod est verum; vt utq; enim à verbo substantiuo desumptū, actualissimam illam Dei existentiam significat; quare etiam nonnulli sentiunt, illud ex hoc esse profectum, & quasi deriuatū; quod est consentaneū citato loco Exodi 3. Alterum est, verbum Tetragramaton idem esse cū tercia persona futuri verbi substantiui; quod etiam verum est, saltem abstrahendo à punctis & modo pronuntiatidum: siquidem tercia persona vno quodam inflexionis modo est *היה* Ieheue *Erit*, quod eadē penitus literas habet (seclusis punctis seu vocalib;) quas nomē Tetragramaton *יהוה* Iehoua. Ex quo tamen minimè sequitur, nomen Tetragramato idē esse cū illo *Qui est*; quia hoc hebraicè nõ sonat *Ieheue*, sed *Ehie*; nec est tercia, sed prima persona futuri verbi substantiui. Sed hæc ad propositū satis.